



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt III. Quid ectum inter Pontificem & Cæsarem de Synodo, ac de
føedere: & varia tum intra tum extra Concilium funera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

1547.
c Epist. Maffei ad Ceruinum, 5. Febr.
1547.
d Litteræ Maffei,
11. Februar.

e Ex Diario,
25. Februar.

voluntatem significarat, ^c addideratque, ex repulsa, quam nuper tulerant Cardinales Ferrarientis, Barbonius, & Sfortia, de plurium Ecclesiarum coniunctione, ^d satis patere, id quod in posterum obseruandum erat, iam in præsentia præstari. Sed rescripsit Ceruinus, urgentem reipsâ morbum solâ nouæ corruptelæ abstinentiâ non satis curari. Quemadmodum haud fas erat Concilio, iudicare aut corrigere quæ Pontifex egerat in legum relaxationibus hac illâ ratione impertiendis; ita hîc aptè repeti posse quod antiqua Synodus Marcellino Pontifici dixit, *Te ipsum iudica*. His itaque rationibus adductus Pontifex, neque quicquam in Purpuratis Patribus durius nactus, ad conficiendum Diploma se flexit, quod summa cum Pontificis commendatione à Synodo susceptum est^e; tum quod re ipsa laudem merebatur, tum quod vniuersè grata est abruptio canalis, quo in paucorum domum vbertim confluunt laxationum commoda, dum ceteri aridam legum seueritatem patiuntur.

CAPVT III

Quid actum inter Pontificem & Cæsarem de Synodo, ac de fœdere: & varia tum intra tum extra Concilium funera.

a Litteræ Maffei ad Ceruinum, 26. Nouemb. & 4. Decemb. 1547.

b Litteræ Maffei ad Ceruinum, 23. Februar. 1547.

c Litteræ Maffei ad Ceruinum, 4. Decemb. 1546.

d Litteræ Ceruini ad Farnes. 24. Februar. 1547.

DUm hæc agebantur, vehementer ambigebat Pontifex, ^a conrinuandum necne sibi fœdus cum Cæsare: Legatosque ipsorum sententiam rogauerat; qui tamen quid ex eo rescripserint, mihi incompertum. Soluebatur ille promissione persistendi amplius in eo fœdere; non modò quia sex menses conditi iam fluxerant, sed etiam quia Cæsar cum Palatino, ^b cum Wirtembergico, cum variis liberis Ciuitatibus concordauerat, neglectâ conditione, dummodò Pontificis obsequio se submitterent; quin etiam ne expectato quidem illius consensu, pro eo ac fœdere sancitum erat, neque re Nuntio communicatâ^c. Nouum Septemuirum Mauritium Saxonem, ab ipso susceptum Ioanni Frederico, quippe perduelli, ac Brandenburgicum secum fœderatos haud compulerat vt à Pontifice Septemuiratus comprobationem deposcerent, suosque Oratores ad Concilium mitterent, atque ereptas Ecclesias suis Episcopis restituerent. Et ex altera parte, cum animaduerneret Cæsar, longè durissimam accidere perduellis Religionis mutationem, ^d satius existimabat, lento gressu quàm saltu procedere, priusque ad suam illos obsequelam, deinde ad Dei & Petri obedientiam adigere. Sed euentus consilij fallaciam patefecit, cum ipsa in Deum contumacia sapius contumaciam in Cæsarem exciuerit.

Quando-

2 Quandoquidem itaque Pontifici liberum erat fœdus prorogare vel solvere, eius continuationem ex vna parte suadebat dubitatio, ne Cæsar ab ipso destitutus corrueret in concordiam indecoram Ecclesiæ, animarumque salutis perniciosam; ex altera, nec ærarium Pontificium, quod Concilij sumptibus hauriebatur, tam magnis suppetiis satis erat, nec illarum indigebat Carolus; propterea quod Ferdinandus Rex in hostium ditiones traductis copiis, Ioannem Fredericum, ac Lantgrauium eò quoque sua transferre arma cœgerat: proinde Superioris Germaniæ vrbes hæreticæ sub Cæsaris imperium deuenerant, grauib; ab illo impositis tributis onerata; ^e ad eò vt à solis Augustanis trecenta florenorum millia fuerint collata. Verùm hæ omnes rationes oppositis planè cessissent, nisi quædam ceteris validior his accessisset: ea erat nouum, quod mussabatur, Regis Galliæ consiliu inferendi contra Cæsarem in Italiam arma. Hic enim vnà cum filij iactura inita concordia fructus amiserat: adeoque ad sua pristina iura, quibus in pacificatione cesserat, conuerterat animum; nouâ suspicione agitatus ob æmuli res prosperas in Germania, precibusque ac pollicitationibus Protestantium extimulatus. Quapropter Pontifex, vbi in fœdere perseuerasset, satis intelligebat, oportere vt ipse Cæsari auxilia suppeditaret in eo pariter euentu, per grauisimum & periculum & incommodum, abruptâ cum Francisco Rege amicitia, quem adeò præcipuum Ecclesiæ membrum agnoscebat, adeò necessarium ad felicem exitum defensionemque Religionis. Itaque vt hunc turbinem armis Catholicis minitantem dissolueret, Goronus Bertanum Phanensis Episcopi fratrem ad Cæsarem misit, ^f ad pacem illi cum Gallo suadendam; iussitque Tridento transeuntem Legatis mandata communicare, ab eisque noua documenta desumere. At cum Gorono iter facienti infortunium contigisset, suffectus illi Episcopus ipsius frater, vir & prudentia ornatus, & Cæsarianis gratosus: vbi tamen Goronus conualuit, ad suum obeundum munus ipse perrexit.^g

1547.

^e Ex litteris Ceruini ad Farnes. 4. Februar. ex Diar. 2. Febr.

^f Litteræ Farnesij, 2. & 3. Ianuarij 1547.

^g Litteræ Ceruini ad Farnes. 4. Februar. 1547.

3 Hæc itaque ratio, ne in societatem belli aduersus Gallum adigeretur, fœderis continuationem Pontifici dissuasit, non ea quam per insulsam nequitiam Suauis colorat, dum commemoratas à me causas aut ignorans aut dissimulans, & in temporis etiam anticipatione peccans, rem tribuit felicitati Cæsaris, Paulo plus nimio iam suspecta. Quasi verò subtilissimum id esset arcanum, quod Pontifici iam tum latuisset, cum fœdus sanciuit; & quasi longè suspectior futura illi non esset potentia Protestantium, qui & capitales hostes in Sedem Apostolicam coniurauerant, ac inauratos laqueos Pontificia

1547. gulæ iniiciendos in Italiam deportauerant. Iam verò, cùm cessatio beneficij iniuria ferè loco habeatur, hæc suppetiarum prætermis-
 sio, simul & promulgatio Dogmatum Fidei per Synodum habita, effecerunt, ^h vt per eos dies Cæsaris sanguis acfceret; de quo Cardinalis Augustanus Legatos admonuit, adiectis precibus, vt pro Christianæ gentis incolumitate his turbis occurrerent. Verùm dum negotium pacificationis cum Francisco Rege pendebat, nouum fœderis nexum Pontifex recusabat. Cùm autem à Cæsare per litteras vrgeretur, & per officia flagrantissima in libello à Mendoza exhibito, vbi de Concilio primo loco agebatur, Paulus nihil operæ quâ voce quâ calamo intermiserat, vt Mendoza, ac per eum Cæsari palàm faceret, quàm studiosè, quàm sincerè, quàm rectè in rebus ad Concilium expeditionemque spectantibus sese gessisset. Sed vbi ⁱ resciiuit, eo pacto se minimè profecisse, accuratum ea de re Commentarium ad Verallum Nuntium misit, in cuius ore sperabat rationes illas longè efficaciores futuras, quàm in litteris Cæsarianorum: atque ad id fiduciarum epistolam Cæsari per ipsum reddendam conscripsit, quâ delatis sibi à Mendoza litteris respondebat.

ⁱ Litteræ Farnesij ad Verallum, 15. Februar. 1547. inter Commentarios Ceruicorum.

Exponebat Commentarius, vnaque dissoluebat id, quod in epistola Mendoza de vtroque negotio continebatur. Quod spectabat ad Concilium; significarat Cæsar, fuisse sibi firmissimè propositum, vt in eo auctoritas Pontificia illæsa perstaret: se quidem cupisse, vt dogmatum definitio retardaretur, tum antea de noxa Originaria, ne intempestiuè Protestantes irritaret, tum maximè postea de Iustificatione, quippe quòd nondum satis maturum videbatur, ac præterea insignium Academicarum super eo sententiam audiendam: id ipsum tamen à se modestè propositum, & in Pontificis potestate prudentiaque repositum. Sollicitè pariter instituisse morum reparationi, quòd eam generis Christiani calamitatibus efficacissimum maximeque expetitur remedium existimasset. Obstittisse tum suspensioni Concilij, tum translationi, ne obtentum præberet Lutheranorum contumaciæ iam alioqui patefactæ, quandoquidem recusabant Synodo ab Imperij Comitibus acceptæ se submittre; neue in desperationem traheret etiam Catholicos, qui in huiusmodi Synodo spem omnem componendæ Ecclesiæ collocauerant. His itaque responsum: Pontificem in expetendo Concilio Cæsari nihil cessisse, cùm id tantâ sollicitudine habendum curasset, inter tot difficultates coëgisset, tam graui sumptu sustinuisset: postea verò Ecclesiæ dignitatem postulasse, ne Concilium iam coactum otaretur, præsertim in eo quod sibi vel maximè curandum erat, hoc

hoc est, in hæresi extinguenda. Peruicaciam Protestantium eiusmodi esse, ut Cæsarem ad arma capessenda compulerit; quando minus sperandum, eos ad frugem per damnationis moram adductum iri: nihilominus Pontificem in gratiam Cæsaris haud recussasse negotio superfedere, dummodo absque Synodi dedecore id fieret, eâ videlicet suspensâ: sed nondum id præstitum, quòd Cæsari non probaretur. In maturando Iustificationis Decreto sex menses impensos: Academiarum ea de re sensa in eorumdem scriptis patere; quòd si disertè illa exquirentur, hoc ipsum Concilij dignitati derogaturum, cuius erat, cunctas Academias docere ex diuini Spiritus sibi præsentis afflatu. Ad reparandam disciplinam ad eò pronum esse Pontificem, ut vtriusque argumenti tractationem simul habendam permisisset, aduersus quàm rerum ordo ac dignitas postulare videbantur: dedisse præterea mandata & amplam auctoritatem de iis agendi etiam quæ suam ad Aulam pertinebant. Si tantam in Synodo cunctationem præuidisset, & induxisset in animum, varias nationum iam inueteratas consuetudines à se tantùm posse facile corrigi absque Concilio, daturum se fuisse operam, ut ad eam diem id effectum conspiceretur, quod etiam ut in posterum fieret paratus erat. Translationem grauissimis de causis opportunam sibi visam; ab ea tamen animum auertisse, non quidem ob adductas à Cæsare rationes, quibus nequiquam acquiescebat; sed ob aduersum illius animum, cui se concordem præoptabat in iis etiam quæ minùs idonea ex aliis rationibus existimasset.

5 In iis, quæ ad secundum caput, id est ad bellum spectabant, suam Carolus voluntatem significarat expeditionis continuandæ, donec Protestantes ad obsequium Sedis Apostolicæ pertraxisset. Hoc Cæsaris studium Pontifex commendabat, aiebatque, id à se sperari, cum ad illud ipsum obtinendum fœdus coisset, tamen postmodum per concordiam cum Wirtembergico, variisque hæreticis urbibus initam, inscio Pontifice, fuisse à pactationibus resilitum, sibi que materia querelarum exhibita. Verum cum posceret Cæsar, ut Pontifex suppeticarum continuationem sponderet ultra temporis spatium in fœdere constitutum; is respondebat, se ob exploratas sibi prius suarum virium angustias, ad eos menses promissionem suam coarctasse: nunc verò Cæsarem quæ rebus prosperè gestis, quæ hostibus post fœderis Smalcaldici dissolutionem debilitatis, quæ imposito populis iam subiectis tributo, noui subsidij necessitate minimè premi: sed potissimum inter subsidia videri ipsam cum Gallo pacificationem, cui perficiendæ nullam à se operam per

1547. litteras ac per Nuntios prætermitti. Cæterum quemadmodum in aliis pluribus aduersus Fidei hostes expeditionibus Cæsari citra omnem obligationem opem tulerat; ita se contra Lutheranos illi subuenturum, quantum & necessitas posceret, & vires paterentur.

Querebatur dein Cæsar, Pontificem scriptis ad Heluetios & ad 6 Galliarum Regem litteris, expeditioni obfuisse: cum per eas palam fieret, bellum non eam solam gratiam susceptum, ut Protestantes ob contumaciam in Imperium plecterentur, sed ut ad veterem Religionem adigerentur. Ad hæc Pontifex: Mirari se huiusmodi querimoniam; cum enim Cæsare ipso petente hæc conditiones in sancito fœdere fuissent appositæ, & Apostolicus Legatus cum tanto militum numero contra Fidei peruelles missus esset; quisnam verum rei consilium ignorare posset, bello prorsus politico sibi conficto? Præterquam quod illæ Pontificiæ litteræ quasitæ, sollicitatæ, atque inspectæ iam fuerant à Cæsaris ministris: proinde si perniciosæ euassissent, Pontificem iustius expostulaturum, quod ab iis viris quibus ipsi fides habenda erat, ea fuissent efflagitata, quæ susceptis armis nocerent.

Adiciebat Cæsar: Se, ut Pontificis cohortationibus morem gereret, bellum aggressum, ex quo potissimum emolumentum in Apostolicam Sedem erat redundaturum. His Pontifex reponebat: Admodum se lætari, tantum sua consilia valuisse apud Cæsarem, qui hoc posito, tametsi nihil aliud à Pontifice accepisset, plurimum ipsi deberet, quod eius operam expeditionem suscepisset, quæ tantum Dei obsequio, tantum Cæsaris gloriæ conducebat, ac tam feliciter cesserat: decerptum hæcenus fructum vnicè penes Cæsarem esse, urbibus locisque suam in potestatem redactis; Sedis verò Apostolicæ emolumenta esse solum in spe: quamquam hæc ipsa spes niti firmissimè videretur in eo, quod Cæsar Diuinæ gloriæ fœderisque pactationibus debebat.

Conquerebatur iterum Cæsar, complures ex Italicis militibus 7 stipendiorum penuriam discessisse. Contra subiiciebatur, ea fuisse semper integrè persoluta, perinde ac planè in duobus superioribus subsidiis à Pontifice Pannoniæ suppeditatis. Proinde aliquorum reditum tribuendum potius locorum asperitati vel incommodis, quibus illi se ibi malè acceptos querebantur; Italos omnium primos illic affuisse, adeoque strenue pugnasse, ut ipse Cæsar ab iis sibi satisfactum restaretur.

Petebat insuper, ut stipendia supplerentur, totidem Germanis soluenda, quot Itali abscesserant. Respondebat Pontifex; Hunc
militum

militum secessum non Italis peculiarem fuisse, sed Hispanis Germanisque communem; plerosque Itatorum non castris, sed vitâ in præliis decessisse; adeoque censere, nullâ se amplius obligatione teneri: verumtamen huiusmodi supplementum modicam ad summam redigi, nec se recusare expertorum hominum arbitrio rem committere, suoque cuiuscumque debito satisfacere.

1547.

8 Iterabantur à Cæsare querimoniam, quod nollet Pontifex in Hispania pagos Ecclesiasticis beneficiarios diuendi; aliâve ratione pretium quingentorum scutorum millium ex his conquiri. Sed opponebat Pontifex apertum pactionum tenorem, quæ, quantum ad huiusmodi venditionem spectabat, fuerant à Senatu Vaticano repudiata, concessio vt Cæsari aliunde satisfieret. Id porrò intelligi non poterat de quingentis scutorum millibus: nam pactiones, quas diximus Senatu propositas, habebant, Ecclesiarum in annuis prouentibus iacturam, esse à Cæsare reditibus æqualibus aliunde reparandam; adeoque nullum inesse ius Cæsari, quingenta scutorum millia, nisi cum ea iacturæ reparatione, deprecendi. Aliàs Cæsaris Administris visum abundè fuisse, à Pontifice oblata trecenta scutorum millia; & tamen huic summæ post reditum Farnesij Legati accessio- nem à se factam. Claudebatur responsio tum enumeratis ingentibus subsidiis, quæ Pontifex & Ecclesiastici variis modis in illud bellum Cæsari subministrauerant, aded vt ipsi magna ex parte subue- nerint; tum argumento ex his aliisque præteritis beneficiis dedu- cto, quantum in Pontifice fiducia in posterum Cæsari collocandum, pro eo ac ratio postulasset, citra omnem obstrictæ fidei necessitatem.

Sic igitur Pontifex longioris obligationis vincula declinabat, donec pace compositâ inter Carolum & Franciscum, metu soluere- tur, ne per fœdus cum Cæsare in Gallum arma consociaret. Ve- rum vt spes pacis tunc tenuis affulgebat, ita nullus postea exitus fuit, & quod Carolus à pacificatione nimis abhorreret, & quod oblatum illius sequestrum auersabatur. ^k

9 Quod ergo ad pacis negotium spectabat, iam initio Cæsar alie- num ab ea animum Nuntio præ se tulerat, causatus haud posse sal- uâ dignitate ad illam pacem se flectere; propterea quod crederetur ipse alio implicatus bello ad eam per vim pertrahi. Sed reuera nec possessas restituere prouincias is volebat, nec inire concordiam, vbi etiam consensisset Gallus, vt quæcumque ipse obtinebat, sibi reti- neret, acri curâ stimulatus, quod Sabaudia Dux, sanguine ac fœde- re sibi coniunctus, adhuc ditionis suæ parte non modicâ orbatus esset, quam ei tamquam Cæsaris clienti Gallus ademerat. Qua- ^k

^k Ex varijs litteris Ve- rali Nuntij ad Farnesij Cardina- lem, in volumine Archi- uij Vaticani, cui titulus, *Littera Ve- rali*, an- no 1542. vsque ad 1547.

propter

1547. propter, vbi primum Goronus rem proposuit, Carolus respondit commotior: Regi quod neque suum neque meum est, retinere non licet: animique commotio aucta est, delatâ sibi Regis Galliæ splendide minitantis voce (tamen Gallicus apud Cæsarem Orator eam inficiatus sit) à se nimirum eousque molestiam Cæsari haud exhibitam, ne expeditionem in hæreticos interturbaret; tunc verò cum victorem cerneret, velle se illi bellum inferre. Quâ voce satis intellegebat Carolus, triumphum ipsius Cæsaris à Gallis ante victoriam cani. Proinde in ea verba coram Oratore Gallico prorupit: Si id ita ferret, se ad Gallum peruenturum, & viam callere; volens per hæc in memoriam reuocare angustias, in quas Gallos coniecerat, cum armatus Galliam diuexauerat, vnde postea postrema inter eos concordia manauerat. Quod verò ad pacificationis sequester, ad Pontificem inquam, pertinebat, Cæsar incredibilem animi amaritiam conceperat ob id ipsum, ad quod pax conducere potuisset, videlicet ob memoratam subsidij cessationem: idcirco ad acerbissimas cum Nuntio querelas progressus, inter cetera dicebat, Boni pastoris, quin etiam probi hominis non esse, in eiusmodi rerum conditionibus ipsum deserere: ab aliis morbum Gallicum contrahi in iuuenili ætate, at in senili à Pontifice, tamen reuera iuuenis etiam Gallis fuisset addictus. Cumque responderet Nuntius, Nulli partium adherere Pontificem, subiecit ille: Ita enim uerò; sed hæc in medio persistendi ratio Christianam Rempublicam euertit. Affirmabat, compertum sibi esse, Paulum in Francisci Regis gratiam à fœderis continuatione recedere; id pollicitum Oratori Gallorum Regis, prosperos sibi successus obturbare conantis, ut proinde Constantiam, Vlmæ & Augustæ exemplo se Cæsari dedere meditantem, rex ad oblectandum animauerit.

Ad has expositulaciones haud destiterat Nuntius dignitatem & 10
causam sui Principis sustinere, commemoratis Pontificiis sumptibus in eam Cæsaris expeditionem, septingentis quinquaginta scutorum millibus, & traditâ facultate alia decies centena millia ab Ecclesiis excerpti: belli periculis & incommodis duo nepotum dilectissima capita obiectasse, atque suæ ditionis nouena militum millia amississe, adeoque ingens videri Pontificis infortunium, quod tam caro pretio non beneuolentiam, sed inimicitiam Cæsaris commiserat. Sed quò simul eum deliniret, simul per spem alliceret ad concordiam, subiecit, Præterita tam ampla, tamque recentia beneficia, pignus futurorum, & quasi firmissimum vadimonium esse posse; nihil quippe fortius ad noua beneficia conferenda homines trahit,

trahit, quàm cura ne vetera, si ingentia fuere, deperdantur: quare cum in id coalescerent tum animi propensio, tum studium Religionis, dubitari non posse, quin Pontifex libenti animo esset Cæsari suppeditaturus quidquid per vires, rerumque conditiones licuisset. Verùm nemini melius innotescere, quàm ipsi Cæsari, cuius potentia ceteris præcallebat, quibusdam in rebus peragendis reuerà minus esse liberos, magisque subiectos quàm ceteros, eos ipsos, qui supremi ceterorum Domini nuncupantur. Huiuscemodi nubes inter Cæsarem & Pontificem tunc obuoluebantur, è quibus erupere postea procella, grauem perniciem immensumque terrorem Christianæ Reipublicæ inferentes.

11 Varia cum Patrum in Concilio funera, tum Principum extra Concilium eos menses nobilitarunt. ¹ E Patribus obiit Ioannes Caluus, Minorum Obseruantium Moderator, à Corsica, integritate vitæ doctrinâque conspicuus, vnde communem venerationem amoremque sibi conciliarat. Decessit paulò post ^m Henricus Loffredus Episcopus Caputaquensis, vir litteris ac Religionis studio præstans, ac Cæsaris apprimè studiosus, sed linguâ minimè cautus; quapropter paucos ante dies, ⁿ dum de propositis emendationis Decretis ferret sententiam, ea sophistica nominarat: de quo Montanus in alio cœtu acriter conquestus, dissimulato eius nomine dixit; Licere quidem cuique quæ sibi viderentur de Decretis, velut embryonibus non partibus, propositis expromere: sed aliud esse dicendi libertatem, aliud contumeliæ iactandæ licentiam; cum præfertim ea contumelia Legatos peteret, qui peculiaribus congressibus præerant; perinde ac si vellent per verborum ambages non dirigere, sed in tricas conuicere Christi cultores. Sed dictum postea Loffredus excusauit, professus, se nihil aliud per vocem sophistica significare voluisse, nisi ambigua & obscura. Iusta illi solemniter persoluta, collegis omnibus confluentibus.

¹ Diarium
Massarelli,
21. Ianuarij
1547.
^m 6. Martij,
vt in Diario.

ⁿ Diarium,
& Acta 8. &
16. Februar.

12 Alio externo funere sublatus est Synodo vnus ex præcipuis doctrinâ Episcopis. ^o Etenim vxore Guidobaldi Ducis Vrbinatis extinctâ, vir eius grauissimo oppressus mœrore, Bertanum supra ceteros intimum sibi tam instanter ad solatium poposcerat, vt Legati repugnare nequierint. Bertanus verò eadem operâ simul mœstitionem à Pontifice ob veteres offensiones, illum cohortatus, ad prolem virilem sibi quærendam per nuptias Victoriæ Farnesiæ Petri Aloysij filiæ, quæ postmodum Christianarum Principum exemplar eluxit.

^o Litteræ
Ceruini ad
Farnesium,
28 Febr.,
1547.

1547.

p. 27. Januar.
ex Diar.
Maffirelli.
q. 28. laua-
rij.

r. Vide Spon-
danum an-
no 1. 47.
n. 16. & quos
ipse citat.

Maiores Principis sub idem tempus viduitas obtigit, defunctâ 13
Anna Regis Romanorum coniuge, quæ Pannoniæ diadema viro
detulerat, ipinis magis quàm gemmis contextum.

Postridie quàm Anna obierat, 4 diem clausit Henricus Octauus
Angliæ Rex, idemque inter Christianos Principes per annos pluri-
mos maxime inglorius, planeque miserrimus. Quisquis editam ab
illo stragem euoluet tot hominum quæ sanguine, quæ magistratu,
quæ doctrinâ præstantium, ut incestas suas nuptias, & sacrilegam
hierarchiam sustineret; mirabitur profectò, vel ex horrore Regem
illum non contabuisse, qui se tot nobilissimorum capitum carnifi-
cem intuebatur. Retinuit, quamdiu vixit, inter incendia libidinis
ac furoris aliquam etiam pietatis fauillam: nouas hæreses semper
abominatus est, & per Ecclesiasticam, quam impie sibi arrogauerat
auctoritatem, eos viros elegit Episcopos, quos postea sub impiis illius
successoribus, ut Fidem Orthodoxam assererent, exilia & compe-
des nobilitarunt. Tot ab eo fuerant contracta connubia, & tam
oppositæ sententiæ prolatae ad ea modò legitima modò irrita de-
claranda, ex norma non alterius legis quàm suæ ex legis libidinis, ut
ad lites, adeoque ad bella vitanda, regni Ordines satius habuerint,
ipsi parenti successione iudicium arbitriumve permittere. Nomi-
nauit ille primò vnicum quem habebat virilis stirpis Eduardum,
tertiæ coniugis Ianæ Seimeræ filium; deinde Mariam, primo loco
genitam à Catharina prima & legitima ipsius coniuge; tertio Eli-
sabetham, ex Anna Bolena susceptam. Illud Henricus infortunium
passus est, quod tantoperè Principes exhorrent; nimirum, paucos
intra annos cunctos sibi filios, nepotem nullum Regni successores
habuisse; viciscente fortasse Deo multiplices nuptias, quibus viri-
lem sibi prolem perpetuare conatus fuerat, celo vel inuito. Eduar-
dum monuit, ne primatu excepto, ab Ecclesia Catholica quidquam
recederet; sed extemplò constitit, perinde id fuisse, ac firmitatem
parietis commendare, simulque fundamenti euerfionem imperare:
mox enim successor in hæresim præcepit corrui, & Britannia post-
modò tamquam in Africam conuersa est, monstrorum omnium
feracem.

Deludit Suauis conceptam tunc à Catholicis spem, futurum 14
nempe, ut filius à patre discordaret; atque verè discordasse, exce-
ptis confestim doctrinis Ecclesiæ Romanæ repugnantibus. Si spes
omnes successu vacuæ irrisionem merentur, oportebit Theologi-
cam Spei virtutem deridere, quæ fanè à Deo cunctis fidelibus præ-
cipitur, & tamen in ipsorum pluribus euentu carebit. Sed me iuuat
iterare

iterare quod dixi, & aliàs dicam, quò in lectorum animis altius imprimatur: Quòd huiusmodi spes vacua fructu ceciderit, obseruetur ab euentu, cuiam maiorem iacturam intulerit, an Romæ, quæ splendorem amisit, ab Angliæ eiusque Principum obsequio priùs ubi collatum, an Angliæ, eiusque Principibus, qui aureum illud pacis vinculum amisere, ab ipsis feruilem dominantis Romæ catenam existimatum.

C A P V T I V.

Confutantur varia Suavis dicta aduersus Decreta Sessionis septimæ de Sacramentis nouæ Legis, eorumque numero: de discrimine inter ea ac Mosaica; ac de voto Baptismi, ad primam Iustitiæ susceptionem necessario.

- 1 **R**egrediar cum Suauis ad Concilij res. Expiscatur ille ex hæreticorum libris rationum momenta magis popularia aduersus varia Fidei dogmata Tridenti fancita; fingitque, à quibusdam certis Theologis ea ibi proposita in priuatis conuentibus, quorum nomina, propriasque conditiones exprimit more fabulatorum, ad vulgi fidem aucupandam: nullam tamen earundem rationum solutionem postea refert, quippe qui satis non habet insinuare, Decreta illa fuisse cum auditæ veritatis ignoratione confecta, sed insuper persuadere contendit, cum pertinacia contra patefactam veritatem pronuntiata. Quamuis autem harum quas narrat disputationum nihil comperiam; tamen quia nonnulla ex illis argumentis, cuiuscumque sint auctoris, responsionem aliquam postulant, saltem apud complures non apprimè doctos; breuiter hinc ea referam, ac refellam, non tamen quantum potest, sed quantum sufficit.
- 2 De numero Sacramentorum dicit, Omnes conuenisse, ea septem esse propter auctoritatem Scholasticorum post Magistrum Sententiarum, ob auctoritatem Concilij Florentini, & Ecclesiæ Romanæ traditionem. Sed cur præterit, ea de re Græcam pariter Ecclesiam conuenire, quæ octo ab hinc sæculis à Romana desciiuit? Cùm tamen super eo cum Romana consentiat, fateri necesse est, id in vtraque à primo fonte dimanasse, à Christo videlicet & ab Apostolis.
- 3 Addit, à plerisque dissuasum, statui septem, & non plura esse propria Sacramenta; sed eos maluisse nihil fanciri, an cuncta quæ